



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola III. Ioannis Papae XX. Ad Capitvlm Ecclesiae Pragensis. De
processu papae contra Ludouicum regem Romanorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

luntas est cum eo. Et beatus Dauid : Ecce quam bonum & ^{Psal. 131.} quam iucundum, habitare fratres in unum. Sed de ipsis Christianis prophetauit noster sanctus propheta Osee, dicens : Diuīsum est cor eorum, & ideo interibunt. Excellentissimæ ^{Osee 10.} regiæ maiestati vestræ transmittimus hoc patens chirographum per Sadoch summum sacerdotem Hebræorum, & magnum Leonem satis peritum in scientia legis nostræ, qui vobis exponent melius vniuersa.

Nos igitur Ioannes prædictus, seruus seruorum Dei, quoniam quidem intelleximus, quod deuotissimus & Christianissimus dilectus filius noster memoratus Philippus comes d' Aniou præparat se ad arripiendum iter suum contra illam gentem crudelem Sarracenam, propter Christianitatis exaltationem, & ad vindicandam Christi mortem : eumdem vero in quacumque die iter suum accepit, cum sua comitiua, ac ipsum post sequentes, auctoritate Dei omnipotentis & virginis eius matris, ac beatorum apostolorum Petri & Pauli, exnunc a poena absolvimus, & a culpa, &c.

EPISTOLA III.

IOANNIS PAPÆ XX.

AD CAPITVLVM ECCLESIÆ PRAGENSIS.

De processu papæ contra Ludouicum regem
Romanorum.

Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, capitulo ecclesiæ Pragensis, salutem & apostolicam benedictionem.

NVPER contra dilectum filium, magnificentum virum, Ludouicum ducem Bauariæ, super eo quod electio-nes sua in regem Romanum, promouendum in imperato-rem per quosdam qui vocem in electione huiusmodi ha-bere dicuntur, in discordia celebrata, per sedem apostoli-cam(ad quam electionis huiusmodi & persona elec-tæ ex-a-minatio, approbatio, admis-sio, ac etiam reprobatio & re-pul-sio noscitur pertinere) non admissa, nec etiam repro-bata, administrationi regiminis Romani regni seu impe-rii se irreuerenter ac indebito per se & alios ingerebat, de fratribus nostrorum consilio, & apostolicæ plenitudine potestatis, præsente multitudine copiosa fidelium, vi-

Concil. Tom. 29.

B

delicet octauo Idus Octobris , processum fecimus continentiae infra scriptæ.

Ioannes episcopus , seruus seruorum Dei , ad perpetuam rei memoriam . Attendentes , quod dum errori non resistit is ad quem resistere pertinet , præsumitur consentire ; quodque plerumque iustitiæ opprimitur veritas , si defensionis opportunæ illi beneficium subtrahatur : profecto nec errori damnabili consentire per resistentia negligientiam nolumus , neque pati ob defectum optimæ defensionis præsidii iustitiam opprimi sponsæ Christi . Dudum siquidem per obitum claræ memorie Henrici Romanorum imperatoris , imperio Romano vacante , principes ecclesiastici & sæculares , ad quos (translati ab olim per sedem apostolicam prædicto imperio de Græcis in personam magnifici Caroli in Germanos) futuri Romani regis , in imperatorem postmodo promouendi , electio pertinebat , votis eorum in diuersa diuisis , duos (sicut dicitur) in discordia elegerunt : quibusdam eorum in dilectum filium magnificum virum Ludouicum Bauariæ , quibusdam vero in dilectum filium Fridericum Austriae , duces , nominando & eligendo ipsos in Romanorum reges , dirigentibus discorditer vota sua . Verum præfatus Ludouicus , a nobis , ad quem suæ electionis huiusmodi (sicut præmittitur) in discordia celebrata , ac personæ ipsius examinatio , approbatio & admissio , repulsio quoque & reprobatio noscitur pertinere , electione prædicta nequaquam admissa , nec eius approbata persona , sicut notoria fama notoriat , & publica facti evidentia manifestat , non quarens (vt debet) per ostium ad huiusmodi regni seu imperii descendere dignitatis fastigium , sed potius aliunde (ne scimus quo ductus , vel verius seductus consilio) præfati Romani regni nomen sibi & titulum regium usurpauit ; quamuis priusquam alterutrius eorum per sedem apostolicam fuisset approbata & reprobata persona , neutrī electorum ipsorum assumere licuerit nomen & titulum prælibatum : cum nec interim Romani reges existant , sed in reges electi : nec sint habendi pro regibus , nec reges etiam nominandi . Idem etiam Ludouicus eodem præsumpto titulo non contentus , administratio-

ni iurium regni & imperii prædictorum , in grauem Dei
offensam , & contemptum ac manifestam iniuriam Ro-
manæ ecclesiæ matris suæ , ad quam eiusdem vacantis im-
perii regimen (sicut & impræsentiarum vacat) pertine-
re dinoscitur , nec non & plurimorum scandalum , & rei
turbationem & læsionem publicæ , ac animæ suæ detri-
mentum , prosilire , seque illi immiscere irreuerenter ac
indebite præsumpsit hactenus & præsumit , exigendo &
recipiendo sub præfato regio titulo fidelitatis in Alema-
niæ & nonnullis Italiae partibus , tam a personis ecclesia-
sticis , quam sacerdotalibus , vassallis imperii , per se & alios ,
iuramenta , ac de dignitatibus , honoribus & officiis , ad
eiusdem Romani regni seu imperii dispositionem spe-
ciantibus , pro suo libito disponendo ; sicut proximis his
diebus præteritis de marchionatu Magdeburgensi , quem
primogenito suo de facto publice contulit , ordinavit :
nec non alia plurima exercendo , quæ ad eiusdem Ro-
mani regni & imperii regimen non est dubium pertine-
re. Eiusdem insuper ecclesiæ Romanæ , sicut Galeatio de
vicecomitibus , & eius fratribus , quamuis sint de crimi-
ne hæresis a suis competentibus iudicibus , exigente iu-
stitia , per definitiua sententiam condemnati , & non-
nullis aliis ecclesiæ præfatæ rebellibus se exhibere fauto-
rem & defensorem , contra dictam ecclesiam prosequen-
tem aduersus eosdem rebelles iura imperii & negotium
fidei , in grauem diuinæ maiestatis iniuriam , contem-
ptum eiusdem ecclesiæ , & animæ suæ perniciem , non est
veritus , nec veretur. Nos itaque tam temerariis ausibus ,
ne mos tam perniciosus inualecat , in posterum obuiare ,
ac (prout ad apostolatus nostri spectat officium) iu-
stitiam sponsæ Christi in hac parte defendere , dictum-
que Ludouicum a tam periculo erroris deuio ad ve-
ritatis callem reducere cupientes ; ac considerantes ,
quod ad eius præsentiam , ad proponendum coram eo
præsentialiter , per quæ posset & deberet retrahi a præ-
dictis , nequaquam tutus patet accessus ; quodque in
præmissis formidatur , quod mora periculum , & disli-
mulatio damnum forent procul dubio allaturæ : ad pro-
uidendum super præmissis excessibus , & obuiandum eius-
dem , subscriptum modum de fratum nostrorum con-

Concil. Tom. 29.

B ij

filio , ac ex certa scientia , & de apostolicæ potestatis plenitudine eligentes , præfatum Ludouicum , præsente fidelium multitudine copiosa , præsentium tenore moneamus , eidem sub virtute sanctæ obedientiæ ac excommunicationis pœna (quam ipsum , nisi cum effectu huiusmodi monitioni nostræ paruerit , incurrere volumus ipso facto) auctoritate apostolica nihilo minus iniungentes , vt intra trium mensium spatiū , a datis præsentium computandis , quod ei de eorumdem fratrum consilio pro peremptorio termino assignamus , ab administratione , fautoria , & defensione prædictis prorsus abstineat ac desistat , administrationem ipsam per se , alium seu alios , non resumpturus ulterius , nisi tunc demum cum electionem suam huiusmodi , quæ de ipso dicitur celebrata , ac personam eiusdem per sedem apostolicam approbari contigit , & admitti : quodque gesta per eum , post præsumptum ab eo titulum memoratum , ceteraque præmissa , quatenus præcesserunt de facto , cum de iure non teneant , velut ab ipso , cui ius faciendi non competebat , nec competit , attentata , curet intra prædictum terminum , quantum patietur possiblitas , realicheriter reuocare . Aperte per præsentium seriem intimantes eidem , quod si in præmissis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens fuerit vel remissus , nos contra ipsum ad publicationem pœnarum , in quas propter præmissos excessus notorios incidere noscitur , vel incidet in futurum , & alias quantum suadebit iustitia , eius non obstante absentia , procedemus . Vniuersis igitur patriarchis , archiepiscopis , episcopis , & aliis personis ecclesiasticis quibuscumque , sub pœna suspensionis ab officio & beneficio , quam eos incurrere volumus ipso facto , nisi infra prædictum terminum infrascriptæ inhibitioni nostræ efficaciter studuerint obedire , & tam ipsis , quam omnibus & singulis ciuitatibus , communitatibus , & vniuersitatibus , nec non personis secularibus quibuscumque , cuiuscumque conditionis aut status existant , etiam si regali aut alia quacumque dignitate præfulgeant , in virtute sanctæ obedientiæ , ac sub pœna excommunicationis in personas , & interdicti in terras eorum , nec non priuationis privilegiorum quorumcumque , apostolicorum

& imperialium, ac feudorum, quæ ab ecclesia vel imperio obtinent, districtius inhibemus, ne prædicto Ludouico in præmissis vel aliis regni seu imperii tangentibus regimen, tamquam regi, seu in regem Romanorum electo, nisi & quoque dictam electionem, ac personam ipsius persedem apostolicam approbari contigerit, & admitti, in aliquo pareant vel intendant: neve eidem in quibuscumque ad regnum prælibatum spectantibus præbeant auxilium, consilium, vel fauorem. Non obstantibus, si ipsi vel eorum aliqui ad hoc se dicto Ludouico ut regi, seu in regem Romanorum electo, adstrinxerint per fidelitatis vel alterius cuiuslibet generis iuramenta: quæ quidem cum præstata fuerint ei cui minime præstari debuerant, nec seruari sine æternæ salutis valeant detrimēto, præstantes eadem non adstringunt: quæ nihilo minus ad cautelam auctoritate apostolica relaxamus, illaque cassa & irrita nuntiantes, decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus obseruanda. Seu si præfato Ludouico, vel quibuscumque aliis coniunctim vel diuisim per literas sedis eiusdem foret sub quacumque verborum forma vel expressione concessum, vel concedetur in posterum, quod excommunicari & suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possint: quas contra præsentem processum nostrum in nullo eis volumus suffragari, sed ipfas quo ad hoc viribus nolumus omnino carere. Ex præmissis autem nos nequaquam intendimus nec volumus obligari, quin ad publicationem dictarum poenarum, & alias contra dictum Ludouicum possimus pendente huiusmodi dilatione procedere, prout iustū fuerit, & nobis visum fuerit expedire. Ut autem huiusmodi processus noster ad ipsius Ludouici, & aliorum quorum interest, communem notitiam deducatur, chartas siue membranas processum continentem eumdem in ecclesia Auinionensi appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus eiusdem ecclesiae faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt, vt idem Ludouicus & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non peruerterit, vel quod ignorauerint eumdem: cum non sit verisimile, quo ad ipsos remanere incognitum vel occul-

B iiij

tum, quod tam patenter omnibus publicatur: volumus autem, & apostolica auctoritate decernimus, quod huiusmodi processus eumdem Ludouicum, seu alias predicatoros apprehendat & arctet, ac si eisdem personaliter publicatus & insinuatus solemniter extitisset: constitutio ne quacumque per praedecessores nostros Romanos pontifices in contrarium edita, non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, mandati, inhibitionis, relaxationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationi omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datae Auinione, in palatio episcopali v i i i. Idus Octobris, pontificatus nostri anno v i i i. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quantum præmissa in prædicto processu contenta, quantum ad vos pertinet, per vos & clerum ciuitatis & dioecesis Pragensis, & alios subditos episcopatus Pragensis, firmiter obseruetis, & faciatis in uiolabiliter obseruari, ac nihil minus prædictum processum in dictis ciuitate & dioecesi, ad id clero & populo loci cuiuslibet, vbi huiusmodi publicatio fiet, conuocatis specialiter & etiam congregatis, faciatis solemniter publicari: de publicatione huiusmodi facientes fieri publica instrumenta, illa nobis, quantocius fieri commode poterit, transmissuri, ac significaturi nobis diem receptionis præsentium, & quæcumque super his duxeritis facienda. Datum Auinione vii. Idus Octobris, pontificatus nostri anno octauo.